



BIBLIOPOLARVM

Ad Lectorem Humanissimum

P R Æ F A T I O.

HUMANISSIME LECTOR, Inter innumeros elapsi proximè sæculi Scriptores, vix vllus occurrit, cuius monumenta maiore omnium eruditorum applausu, admirationis affectu, fuerint hactenus excepta ac concelebrata, quàm HIERONYMI CARDANI Mediolanensis, Medicinæ Professoris Nobilissimi: idque meritò quidem, nisi vehementer fallimur, siue polydædalum quâ abundè pollent eruditionem spectes, siue perspicaciam oppidò raram, humanâque sublimiorem quam præ se ferunt, siue denique *παρρησία* Philosophicam, quâ tanquam gratissimo embammate saporata visuntur. Quò factum, vt author ipse, *Maximus litterarum Dictator* à quibusdam magni nominis Viris, ab aliis *Vir incomparabilis*, ab aliis *Portentum ingenij*, audire meruerit. Cùm ergo plerosque omneis ipsius *Opera* summopere sitire exploratum haberemus, eaque partim repertu non essent facilia, partim corruptissimè typis extarent publicata, non pauca etiam in lucem nusquam adhuc prolata: in animum induximus, vniuersa ista, quæ *edita*, quæ *anecdota*, vndecūque corrogare, nostrisque sumptibus in boni publici gratiam, augustiore formâ Bibliothecis acceptissimâ, prælo committere: Quod dum aggredieremur, honestum hunc nostrum impetum penè sufflaminârunt, quæ sese mox oggessere difficultates quamplurimæ. Studiosorum tamen hominū consiliis opportunè sublevati, cœptum cursum tenere perreximus, aspirante inprimis CAROLI SPONII, Medici nostratis, amabili fauonio. Hic enim tot Cardani, tamque varias lucubrationes certâ donare œconomia minimè gravatus est: quo in negotio etiam si GABRIELIS NAVDÆI τὸ πᾶν vestigia aliquatenus sectari sibi proposuerit, maiori tamen ex parte proprium Martem adhibere non dubitavit. Quàm id verò feliciter, penès candidos rerum æstimatores situm volumus iudicium. Totius ergò *Bibliotaxia* ab ipso institutæ hæc est ratio. Omnium primâ *Philologica* in fronte locantur, vnâ cum *Logicis Moralibusque*. Ista mox excipiunt ad *Physiologiam* pertinentia. Subiunguntur *Mathematica* varij generis, putâ *Aritmetica*, *Geometrica*, *Musica*, *Astronomica*, *Æstrologica*, *Onirocritica*. Postmodum *Medicinalia* succedunt. Denique agmen claudunt *Miscellanea*, ex *Fragmentis & Paralipomenis* confarcinata. Ist hæc autem omnia cum *decem* in *Tomos* seu *Volumeina* eâ proportionem digerenda venerint, in singulis vt certa quædam debitæ molis æqualitas seruetur, mirum nemini videri debet, si *Mortalium* partem vnâ primus tomus sibi vindicet, aliam verò secundus

dus ; similiterque si Physicorum partem vnam secundus sortiatur, aliam tertius ; denique si Medicinalia quatuor in tomos, sextum scilicet, septimum, octavum ac nonum, ita suadente materiei vbertate, discescantur. Ex quot porro, & quibus, seu libris seu tractatibus, & quâ serie positus, singuli Tomi concinnati fuerint, docebit *Elenchus generalis Operum* suo loco expressus. Quia verò inter illa Opera, non pauca nunc primum prodeunt in lucem, ex authoris autographis eruta, hæc ipsa tali caractere (†) designanda censuimus in Elencho modò laudato, vt ab iam olim editis faciliùs internoscantur. Ceterum dolendum omnino, vt si quid aliud, quòd nonnullas nobis tanti Viri reliquias inviderit fatorum iniuria: membranæ siquidem bene multæ adeò aut laceræ, aut malè habitæ à blattis, muriùmque incurfibus, aut tam exoletis tamque ignorabilibus apicibus exaratæ, nostras ad manus pervenere, nihil vt inde, quod frugis alicuius esset, extundere licuerit. Quo in genere fuerunt *novissimi duo* ex decem *Contradictorium Medicorum*: libris, quos proinde omittere necesse fuit: prætereaque varij libri *Elementorum Geometricorum*: *Tractatus de Febribus putridis*: *Tractatus de morbo Gallico*: *Commentarij in Librum III. & VI. Epidem. Hippocratis*, necnon *in libb. Prorrheticon*: *Commentarij in Artem medicam Galeni*: *Commentarij in libb. Galeni de Differ. morborum*: & *de Differentiis Symptomatum*: necnon *in libb. Galeni de Differ. febrium*. Tandem præter ista non dissimulandum, quædam alia Cardani scripta, apud Gabr. Naudæum memorata, heic desiderari, vt pote quæ nobis, vt vt avidissimè quæritatibus, obtingere nullo pacto potuerunt: cuiusmodi est, *liber de Prudentia eximia*: *liber de Origine ventorum*: *Experimenta ad omnes morbos*. Vt nihil iam dicam de scriptis, quæ planè intercidisse putantur, inter quæ, præter *Metoposcopia libros tredecim*, quos periisse affirmat modò laudatus Naudæus, multi sunt alij libri ab ipso authore passim nuncupati, quorum hodie meræ supersunt epigraphæ, contextûs verò nec vola amplius apparet nec vestigium. Tot lucubrationum penitus amissarum iacturam quis obsecro, è meliore luto fictus non ægrè ferat? imò & earum, quarum exilia duntaxat fragmenta religiosè sublegere, ac posteritati consecrare nobis licuit: è quibus sanè πολλοσημοειοις summam ipsarum præstantiam ac amplitudinem haud aliter colligi posse censemus, quàm ex solo pedis vestigio Herculanæ corporis statura Pythagoræ olim deprehensa fertur, vel potius quàm ex effosso vno alteròve ossè, gygantum proceritatem datur animo metiri. Utinam exoriantur impofterum qui feliciore quàm nos vtentes Mercurio, quæ nos latuere hypomnemata, in apricum amicè expromant: quo ipso catorthomate luculentam procul dubio tum à nobis, tum à reliquis omnibus literariæ Reipubl. Civibus inituros se gratiam persuasissimum habeant. Bene vale, HUMANISSIME LECTOR, nostrisque conatibus candidè fave.